

/ Reverendissime et Illustrissime Domine.

Si mihi licuisset in Anglia veritatem scriptorum vestrorum vel ignorare, vel asserere, nunquam credo litterae meae ad vos pervenis-  
sent in Italiam, Cum autem, neque doctrinae vestrae lumen declinare,  
5 neque iniquissimorum hominum calumnias ferre possem, domi relictis omnibus meis libris in museo meo Cantuariensi, simul cum reliquis bonis ac fortunis universis, me per occasionem aquarum Spadanarum et itineris palatini subduxi, et apud vestros Colonienses Catholicae Ecclesiae in aeternum addixi. Itaque bono jure me ad Ill<sup>m</sup>/mam Reverentiam Vestram scribere debere existimo, non tam ut opem vestram implorem ad calamitates exilii sustinendas, quam ut gratias agam de animae meae libertate ac salute. Fui quidem nuper, et jam a multis annis regius concionator, et cum bona ipsius gratia canonicus Cantuariensis, Decanus Teringensis, Rector Romanensis et Vicarius Thomhami-  
15 miensis; sed Ecclesiae catholicae communionem vestra potissimum opera mihi commendatam non solum rei jam partae, sed etiam spei multo ampliori libentissime praetuli. Quod idem nuperrime, scripta ad Regem apologia, et ad primarios viros plurimis litteris aperte professus sum. Quamobrem Ill<sup>m</sup>/mae V<sup>ae</sup> R<sup>ae</sup> gratias ago quas possum maximas,  
20 non solum nomine meo, sed plurimorum in Anglia virorum doctorum qui de lumine vestro lumen suum et ardorem quotidie accendunt: et humiliter ab eadem peto, ut hoc meum officium boni consulat, et me suis commendationibus juvet, et benedictione confirmet. Deus opt. max ad pacem Ecclesiae et conversionem Angliae vestram senectutem aquilinam  
25 faciat. Leodii dat. Jan. 10: 1614 apud patres Societatis Jesu.

V<sup>ae</sup> Ill<sup>m</sup>/mae Reverentiae

devotus, et humilis

adresse:

Benjaminus Antonius Carerius / Anglus, Th. D/r

Ill<sup>m</sup>/mo ac Rev<sup>mo</sup> Domino ac Patri, Domino Cardinali Bellarmino. Romam.

30 Mss. Cervini 54 fol. 206. copie. - Vallicell. K. 2 (n. 2 fol. 19)

Inpr. dans H. More, Historia missionis anglicanae Soc. Jesu l. IX, 8 p. 402. Audomari, 1660. - London. Arch. Westmin. XIII<sup>e</sup> 71.

in leaf of G. Ant. brach. 17

Manuscript of Antonius Carerius, dated 1614, in the possession of the Vatican Library.